68

TENTAMEN INAUGURALE

QUÆDAM DE

ULCERIBUS CRURUM

COMPLECTENS.

" *Sparsa colligit.*"——BAGLIVIUS.

TENTAMEN
INAUGURALE
QUÆDAM DE
ULCERIBUS CRURUM
COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES OUTHWAITE,

Anglo-Eboracensis,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS, SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

" *Omnis morbus ulcus dici potest.*"——FAB. AB AQ.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM,

MDCCCXVIII.

4

VIRO DOCTO

GULIELMO SIMMONS,

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM LONDINENSIS

SODALI,

NOSOCOMII MANCUNIENSIS CHIRURGO SENIORI,

DISCIPULUS SUUS

S. P. D.

Tu me in amœnas medicinæ vias induxisti et semper me meaque studia gratia maxima fovisti. Cui igitur potius quam tibi, præceptor clarissime, hoc opusculum, minimi quidem pretii, dicarem? Qualecunque autem sit, ne dedigneris; sed ut reverentiæ et æstimationis testimonium accipe, meique semper memor esto.

Deum oro atque obsecro ut omnibus tibi notis benefacturus diu vivas et valeas.

BENJAMINI HIRD, *M. D.*

VALETUDINARII LEODENSIS MEDICO SENIORI,

ARTEM SUAM

CUM PARI LAUDE ET BONO PUBLICO

EXERCENTI,

OB EGREGIAM IN ME VOLUNTATEM

HOC TENTAMEN,

UTCUNQUE JUDICE TAM PERITO INDIGNUM,

OFFERO.

GEORGIO MOSSMAN, *M. D.*

PERITIA MEDICINÆ INSIGNI

LITERISQUE HUMANIORIBUS

EXORNATO,

SACRUM.

DENIQUE

PATRI MEO DILECTISSIMO

QUA DECET PIETATE

D. D. D.

*"Tertiam esse medicinæ partem, quæ manu curet, et vulgo notum et a me propositum est. Ea non quidem medicamenta atque victûs rationem omittit, sed manu tamen plurimum præstat, estque ejus effectus inter omnes medicinæ partes evidentissimus. * * * * * Potest autem requiri, quid huic parti proprie vindicandum sit, quia vulnerum ulcerumque multorum curationes, quas alibi executus sum, chirurgi sibi vindicant. Ego eundem quidem hominem posse omnia ista præstare concipio. Atque ubi se diviserunt, eum laudo qui quamplurimum percipit."*

CELSUS.

" An evil seems to me to have arisen from the artificial division of the Healing Art into the Medical and Surgical departments. This division has caused the attention of the Physician and Surgeon, to be too exclusively directed to those diseases which custom has arbitrarily allotted to their care."

ABERNETHY:

TENTAMEN INAUGURALE

QUÆDAM DE

ULCERIBUS CRURUM

COMPLECTENS.

OMNIBUS qui in animo volvunt quam sæpe accidunt, quam varias species induunt, quam multa corporis loca invadunt ulcera, quantum et doloris et incommodi ægris inferunt, summi ea esse momenti facile persuasum erit.

Nulla ætas, nulla vitæ sors peste tali omnino immunis est. " Æque pauperibus locupletibus æque," longævis et adolescentibus, pigris et impigris, marcis et obesis pariter obveniunt. Discrimen sexûs, ætatis, morum, et conditio-

nis vitæ hanc proclivitatem non modo magis minusve variat, verum quoque ulcerum speciem peculiarem sæpe sibi vindicat.

Vulnera, et, quæ ea fere consequuntur, ulcera nunquam non mortales vexârunt; unde fit ut Pater rei medicæ de iis multa et egregiè disseruit. Ex eo tempore in omnibus de medicina et chirurgia libris eorum sanatio locum sibi proprium obtinuit. Quin et nuper complures chirurgi, neque parvi nominis, animos præsertim ulceribus intenderunt, et de eorum historia et curatione libellos multos doctosque ediderunt.

Quascunque corporis partes ulcera invadunt non sine magna cura ad cicatrices ducuntur; quæ autem crura infestant, difficillima sanatu; immo sæpissime artis chirurgicæ laborem frustrantur, quippe quæ tandem subacta iterum plerumque erumpere gaudent.

Clarius in ulceribus quam in alio quovis morbi genere variæ actiones naturæ, nempe puris excretio, carnis renascentia et absorptio manifestantur. Symptomatibus, quæ has ac-

tiones comitantur, quin et effectibus medicamentorum in ulcera externa rite notatis et in mente repostis, de progressu ulcerum internorum, quæ sub sensum oculorum haud cadunt, facile medicis judicare licet; nam ut recte affirmavit Doctor Friend "profecto, si pars hæc chirurgiæ ab ejus magistris esset distinctius explicata, clariusque designati et expositi remediorum externorum effectus, nihil aliud majorem internorum medicamentorum operationibus atque virtutibus lucem affunderet *."

De ulcerum sanatione maxima adest inter medicos dissensio: hi remediis externis, illi internis; hi blandis, illi acrioribus confidunt; alii otium agere et recumbere, alii corpus exercere et vitæ muneribus fungi ægros jubent. Quomodo sententiæ diversæ adeo conciliari possunt? Si mihi litem dirimere liceret, distributione dicerem in classes et species; nam ulcera singula propria remedia sibi vindicant; "vulnera maligniora valentioribus egent re-

* Vide Friend Opera Omnia ad Pag. 396.

mediis, imbecillioribus autem mitiora;" * et "nihil mirum sit si suo sæpe excidant fine, qui eodem medicamento omnia maligna ulcera curant et sanare se posse putant †." In paginis sequentibus distributionem, si non eruditam, utilem saltem et practicam instituere, et cuique classi sua remedia adaptare conabor.

De Ulcerum Distributione.

Olim humorum adhuc peccantium doctrina florente ulcerum varietates ab effusionibus suis statuebantur, alia nempe saniosa, ichorosa, sordida, seu purulenta; vel a figura, alia nempe rotunda, obliqua, recta; vel a duratione eorum, hæc enim recentia, illa vetusta nominabantur. Postea vero quum physiologiam observationes et experimenta evexerant et illustraverant; præsertim vero quum leges, quibus natura ulcera et generat et sanat, chirurgo optimo JOHANNI HUNTER tam plane patuerant, hi morbi in classes et species facile revocabantur.

* Vide Galeni Opera.
† —— Ambrotii Paræi opera chirurgica ad cap. 9. lib. 12.

Distributio mea etsi nihil novi præ se ferens ab omnibus tamen quas adhuc vidi aliquantum differt, et me judice utilissima est, et naturæ legibus maxime consentanea. Primo omnia ulcera in duas classes, nempe Idiopathica et Symptomatica dividam. Quæ ex quibusdam corporis vitiis ortum ducunt symptomatica vocabo, ut sunt Scrofulosa, Syphilitica, Scorbutica, et forsan adderem Carcinoma et Phagædenam. Sub ordine ulcerum idiopathicorum collocabo omnia quæ sine vitio generali vel occurrunt, vel occurrere possunt; talia sunt quorum causæ extrinsecus adveniunt et quæ remediis topicis solis sæpissime cedunt. Non dicerem quod ulcerum horum facies nunquam morbis mutantur; nam mihi persuasum habeo quæcumque ullam functionem impediunt, totum corpus turbare, et hanc turbationem ulcera ipsa participare; exempli gratia in febribus superficies ulcerum inter se variant, horrore durante siccant, sudore erumpente pus iterum effundunt *. Multa quoque ulcera non

* Vide "Cullen's Practice of Physic," § 18.

nisi remediis internis sanari possunt, nihilominus tamen usu medicamentorum externorum et humorem effusum et speciem ulceris non nunquam mutare valemus. Quicunque libellum legit quem doctus chirurgus ABERNETHY edidit cui titulus "on the constitutional origin and treatment of local diseases," nullus dubitare potest quin in morbis omnibus localibus animum ad viscera chylopoietica et vires totius corporis advertere, necnon omnes aberrationes medicamentis propriis, purgantibus, tonicis, astringentibus, &c. pro rebus natis revocare necesse sit.

In hoc tentamine investigatione ulcerum idiopathicorum solum versabor; varias hæc in species distribuam, quarum prima est—Ulcera partium quæ irritationi maxime inserviunt; secunda est—Ulcera partium sanarum vel quæ ad cicatrices tendunt; tertia est—Ulcera partium quarum actiones vehementes sunt, vires autem debiliores; quarta species est—Ulcera partium quarum actiones torpent; quinta est—Ulcera quibus varices venarum

conjunguntur; et sexta est—Ulcera quæ sinus comitantur. Nomina specierum valde similia sunt quibus utitur EVERARDUS HOME, Baronettus *, distributio autem paululum dissimilis. Quanquam omnia hæc ulcera quasi species varias descripsi, opinor tamen unumquodque ulcus has varias formas sumare, et primo dum ulceratio progreditur ad speciem primam referri posse.

Prius quam de historia et sanatione ulcerum disserere suscipiam, puto equidem haud multum a re alienum fore si pauca quædam verba faciam de quæstione diu sane sed frustra inter medicos exagitata; utrum, nempe, expedit ulcera sanare omnia. Silentio liceat prætermittam ea quæ gignit vel scorbutus vel struma vel alius quivis morbus, et quæ quasi symptomata proferunt; de talibus enim sanandis quis, quæso, rei medicæ parum quamlibet peritus,

* Vide "Home's Practical Observations on Ulcers of the Leg," p. 66. 2d edit.

in ancipitem sententiam distrahetur? De ulceribus simplicibus tantummodo agendum. An ulcera quæ jam inveterârunt, quæ et largam puris copiam aliusve fluidi quotidie effundunt, impune sanare licet? Annon potius metuendum ne, solita tali evacuatione suppressa, laboret corpus? Multi sane neque parvi nominis scriptores, tam medici quam chirurgi, memorârunt apoplexiam, cephalalgiam et asthma ex tali fonte profluxisse; quamobrem præcipiunt ulcera hujusmodi sanemus cavendum. Inter hujus consilii auctores recenseamus Heister, Sharp, Le Dran, et alios; quin et inclyti illi in hac Alma Academia Professores, Gregory et Home, eidem sententiæ favent. Multi, contra, longe aliter sentiunt, inter quos adsunt Benjamin Bell, Underwood, Everardus Home, &c. Ego quidem, pace talium virorum loquor, ulcerum hujusmodi sanationi me accingerem; et si signa quævis infausta sequerentur, fonticulum parti brachii idoneæ admoverem; nuchæ autem si immineret apoplexia. In sanatione omnium quæ inveterârunt

ulcerum, imprimis necesse est ut signa se ostendentia diligenter notemus; quod si dolor capitis, respiratio impedita et alia symptomata infausta urgeant, unguentum quoddam stimulans, *e. g.* sabinæ ulceri applicetur ut suppuratio revocetur, vesicatorium parti dolenti, et adhibeantur purgantia. Ulcera omnia recentia, præsertim in juventute quamprimum sanare præstat.

Audiamus nunc primo ulcus quid sit, detur et historia ulcerationis, subinde his rite peractis natura cujusque ulceris suaque remedia in medium edantur.

DE ULCERATIONE.

Definitio Ulceris.

Ulcus " est vulnus suppuratum partis mollis, vel solutio continui mollis antiqua, pus, ichorem, aut saniem quamcunque alens, fundens *." Licet solutio ossis continui verum sit ulcus, vulgo tamen caries nominatur.

De Causa Proxima Ulcerationis.

Tria sunt vasorum genera in corpore animalium, nempe arteriæ, venæ, et absorbentia. Vasa absorbentia in duas species, lactea scilicet et lymphatica, dividuntur; illa chylum ex intestinis, hæc omnes particulas detritas vel inutiles ex omnibus corporis partibus sub lymphæ forma ad ductum thoracicum vehunt. Horum vasorum munus anatomicis absorptio

* Vide Sagar Systema Morborum in Classe Plagorum.

vocatur. Celeberrimus Johannes Hunter duo absorptionis genera recenset, quorum alterum Interstitialem, alterum Progredientem absorptionem vocat. Arteriæ ut sanguinem in interstitia deponentes massam corporis adaugent, ita lymphatica ex interstitiis absorbentia minuunt eandem, quare absorptionis interstitialis nomen accepit. Hujus absorptionis durante febre emaciatio totius corporis, et paralysi aggrediente massa redacta membrorum laborantium exempla præbent idonea.

Absorptionis progredientis duas enumerat species Johannes Hunter, aliam ulcerantem vocat in qua formatur ulcus, sed alteram nominare nequit; utramque autem sub nomine progredientis includit *. Nomen absorptionis progredientis speciei secundæ, et priori ulcerantis tribuam; tres nempe species interstitialem, progredientem, atque ulcerantem recensens. Secunda ab ultima specie in hoc modo secernitur, ultima semper cum puris ef-

* Vide "Hunter on the Blood," &c. p. 442.

fusione, secunda autem nunquam conjungitur. Absorptio progrediens viam tumoribus versum corporis superficiem patefacit, cujus et ope glandes plumbeæ aliaque lædentia in corpus immissa ex variis et remotis locis denuo extruduntur. Ultima autem species sibi nunc attentionem vindicat, hæc enim sola verum ulcus format.

Antequam JOHANNES HUNTER hanc absorptionis speciem depinxit, ulcerum causæ "humoribus acribus et salsis qui in toto fluunt et vim corrodendi habent" tribui solebant. *

Absorptio ulcus formans nunc ex uno punctulo, nunc ex variis exorditur; nunc undique serpit, nunc linea circumscribitur; nunc celeriter, nunc tardius progreditur. Partes quæ ulcus circumdant fere semper inflammatione vexantur; hinc HUNTER huic absorptioni nomen inflammationis ulcerantis dedit †. Variis ex causis oritur hæc inflammatio ulcerans; cor-

* Vide Fabrit. ab Aquap. p. 949.

† —— "Hunter on the Blood," p. 457.

poris enim partes quæ diu eundem situm tenent, quæ acribus irritantur, vel super quas excreta retinentur et resolvuntur, sæpissime ulceratione afficiuntur. Hæc naturæ lex vigoris signum habetur, nam si debilis lecto affigatur, partes corporis pressæ vulgo gangrena vexantur; sin autem æger robustior fuerit, ulceribus; ut dicit doctissimus HUNTER, "it (ulceration) becomes a substitute in many cases for mortification, which is another mode of loss of substance, and in such cases it seems to owe its taking place of mortification to a degree of strength or vigor superior to that where mortification takes place; for although it arises from weakness, yet it is an action while mortification is the loss of all action *."

Omnia vitia specifica, ut lues, absorptionem ulcerantem excitant.

De Causis Remotis Ulcerum.

CAUSÆ remotæ ulcerum, ut jam nunc dicebam, duplices sunt, nempe externæ, ut sunt

* Vide "Hunter on the Blood," &c. p. 444.

omnia quæ comprimunt, contundunt, vel ullo modo vehementer stimulant aut irritant; et internæ sive in ipso corpore originem trahentes, ut sunt syphilis, scrophula, et scorbutus. Ulcera sæpe vulnera consequuntur quorum labia recentia inter se adducta non imprimis coaluerunt, vel quæ male curata fuerunt, ambustiones, quinetiam et inflammationem cujuscunque sit generis.

Historia causisque ulcerum in genere præmissis nunc unumquodque ulcus suaque remedia sigillatim et seriatim describam, et primo disseram

De Ulceribus Partium Quæ Irritationi Maxime Inserviunt.

Hoc ulcus dysepuloticum *, simplex vitiatum †, ulceris stadium progrediens vel ulcerans ‡ nominatum fuit. Hujus labia sunt tenuia, pannosa, quasi erosa, eversa, et ulceri impendentia. Caro ulcerata cavis exiguis scatet, nitet et quasi vitrea apparet, et quam levissime pressa vehementer dolet. Effunditur ichor tenuis et aquosus, et ulcus plus minusve dilatatur neque ad sanationem tendit. Cutis ulceris circumjacens sæpe phlegmone, vel potius erysipelate afficitur. Aliquando ex ichore salso et acri effuso dissolutiones fiunt et cuticulæ erosiones, quibus quoque ichorem effundentibus, erosio a marginibus ulceris per totum crus gradatim serpit, quod crudum quasi ulceribusque refertum apparet. Liquor effusus sæpenumero concrescit et squamas format.

* Vide Fabrit. ab Aquap. p. 980.
† —— "Bell on Ulcers," sect. 3.
‡ —— "Hunter on the Blood," p. 460.

Ex diathesi corporis irritabili præsertim vero ex ulceribus, quæ nec probe nec convenienter curata fuerunt, et quorum ichor nunquam abstersus, calore autem partis corruptus fuit, hæ erosiones obveniunt.

Ex ætate provecta; cibo deficiente vel minime nutrienti; motu nimio; munditie neglecta; pervigilio; aere impuro; ulceris ipsius deligatione quam justa rariore vel frequentiore, et nimia vel inæquabili compressione ulcus sanum in irritabile convertitur. Ii quoque qui casas humidas et subterraneas habitant, huic ulceri obnoxii sunt. Hæc omnia indicant idonea remedia, " contrario vero sic contraria conveniunt *."

Quæcunque corporis loca tendinibus vel periosteo solo non musculis carneis teguntur; et quæ multo moventur; ut pars anterior ossis tibiæ et malleoli hoc ulcere maxime laborant.

Aliquando ulceribus serpentibus habitus corporis omnino turbatur, et hic effectus nunc causa nunc eventus habetur; sive autem sit

* Vide Hippocr. de Morb. Vulg. lib. 6. sect. 7.

causa seu sit eventus, opiatis et medicamentis quæ spasmos solvunt, eum lævari opus est.

Qui vitam rusticam degentes repente in aere inquinato nosocomii includuntur, eorum ulcera partes vicinas plerumque depascunt, et erysipelate infestant. Rebus sic se habentibus a nosocomio amoveri debent.

Nulla præcepta dari queunt quibus in genere curetur erysipelas, ut variant enim loca et habitus sic variant remedia; ægris temperamento sanguineo et qui in rure vivunt missio sanguinis et purgantia repetita; leucophlegmaticis atque iis quique degunt in urbibus cinchona sola prodesse putatur. Dum febris manet, alvum solventia sudoremque moventia, tunc febre cessante tantum cinchonæ quantum sine incommodo feret stomachus, exhiberi monerem. Cinchona lancifolia in erysipelate curanda alii cuivis speciei anteferenda est.

De quiete et motu corporis, ut antea dixi, multum disputârunt chirurgi. Durantibus in-

flammatione et irritatione procul dubio nec stare nec ambulare, præsertim si in crure sit ulcus, convenit, sed otium potius et quies vel lectus ipse plurimum valent; cibus minuendus est et vino nequaquam indulgendum.

Quæcunque ulceri huic imponuntur blandissima et emollientia esse debent. Talia sunt aqua tepida sub forma vaporis vel fomenti, quod ex foliis recentibus vel siccis conii maculati, floribus anthemidis nobilis, absinthio, vel papaveris capsulis conficitur. Tinctura et extractum opii aqua mista quoque bonos fotus formant. Fotus ter quaterve indies renovari debent, et per tempus interveniens cataplasmata utiliter alternantur.

Cataplasmata varia sunt. Plerumque ex micis panis vel lini usitatissimi seminum farina cum aqua tepida formantur. Chirurgus ille eximius ABERNETHY duo cataplasmatum genera recenset, quorum unum suppurans, aliud evaporans vel resolvens vocat. Illud hic requiritur et sic formatur. Lavetur concha aqua tepida, in quam aquam calidissimam infunde;

lini semina quam tenuissime trita immisce, donec cataplasmatis tres quadrantes crassitudinis fiat. Absorbetur aqua, et simul et temperiem crassitudinemque idoneam comparat. Super linteolum duplicatum superimpone, et axungia porcina obline. Cataplasmata nihil prosunt nisi bene misceantur, et debent esse lævia, æqualia, non aspera, et mollia, alioquin potius partem exulceratam irritabunt quam dolorem lævabunt. Lini semina bene contusa farinæ lini, ex quo oleum expressum est, multo præstat. Cataplasma ex illis confectum non solum humiditatem diutius servat; oleo autem plenius, emolliens magis et lævius fit. Daucorum radicibus raporumque, aliisque herbis quidam chirurgi utuntur. In pulticulis ex his formandis summa diligentia opus est. Diu coqui et ad pulpam mollissimam redigi debent, quamobrem eorum succos cataplasmati lini jamnunc præscripto adjici moneo. Howship mirum esse dicit quantum cataplasma pastinacarum recentium, per radulam pressarum, ulceri progredienti cum ossis carie

conjuncto benefecit *. Lini emplastris emollientibus quoque infusum conii maculati, vel opii solutio aquosa, vel carbonis pulvis addatur. Nullus chirurgus nescit quantum et ulcerum fœtorem et effusionem sordidam hic pulvis corrigit. Stephanus Hammick virtutes humuli lupuli strobilorum commendare suscepit. Horum manipulum in duobus octariis aquæ decoquit, decocto partes ulceratas fovet, et tunc cataplasma ex strobilis, decocto, atque lini seminibus confectum imponit †.

Partibus circa sitis irritatione et erosione laborantibus cum commodo adhibentur lotiones adstringentes et leniter stimulantes, ut lotio zinci sulphatis, argenti nitratis, vel plumbi superacetatis, quæ brevi ulcerationem sanant, inflammationem subjungunt, et cuticulam firmant. Plumbum et ex eo composita medici nonnulli respuunt, mihi autem occasio fuit plurima ulcera videndi quibus applicabantur, neque unquam infausta symptomata ex eorum usu provenerunt.

* Vide "Howship's Practical Observations," p. 435.
† —— "Duncan's Annals of Medicine, 1797," p. 403.

Ulceri huic non æque favent ac aliis, potius autem irritationem augent fasciæ adhesivæ. Nihilominus tamen quædam ulcera hujus speciei sunt quæ enervatis occurrunt, et quæ sine fasciis sanari nequeunt. Clarus ABERNETHY in prælectionibus ejus de arte chirurgica præstantissimis duas ægrorum historias narrat, quorum ulcerum dolorem nihil tantum lenivit quantum fasciæ adhesivæ. Has in modo sibi proprio alligat de quo postea, de fasciis in genere disserens, pauca subjiciam.

Quodsi cataplasmatis onus æger sustinere nequeat, ad alia tunc remedia confugiendum est. Linteum tinctura vel solutione opii madefactum, aut unguento simplici vel ex flore lactis et plumbi superacetate composito illitum, commode applicetur. Unguento quam recenter parato opus est, alioquin ulceri inferret damnum. Lotio nitratis hydrargyri diluta aliave leniter stimulans adhibeatur, et si congrua sit vires ejus augeamus. Aliquando remedia mutari necesse est, nam quæ olim con-

veniebant et ulcus sanabant, jam nihil prosunt et ulcus in eodem statu manet.

Cataplasmatibus talibusque remediis omnino utendum est donec pus bonum appareat; facta enim suppuratione cessat inflammatio, renascitur caro, impletur cavitas, et ulcus ad sanationem spectat. Ubi horum medicamentorum ope pus laudabile apparet, omittantur pus moventia, alias fit sordidum, papillæ carnis pallidæ et molles, et cuticulæ renascentia retardatur. De remediis quæ nunc rite applicantur pauca mox verba faciam.

De Ulceribus Partium Sanarum vel Quæ Ad Cicatrices Tendunt.

Hoc quoque simplex ulcus suppurans * vel sanabile dicitur. Liquor coloris ex albo flavescentis, spissus, inodorus, blandus, nec superfluus neque nimis parcus, pus scilicet laudabile, effunditur; emergunt papillulæ carnis parvæ, acuminatæ, colorem floridum pene coccineum referentes; labia lævia, non denticulata fiunt, vix vel ne vix quidem inflammantur, et paululum invertuntur; ex quibus supra fundum ulceratum læte rubescentem et parum dolentem immittitur pellicula tenuis semipellucida quæ manifestior evadit, si brevi nudetur ulcus. Inspecto subinde ulcere hæc pellicula in veram cuticulam converti videbitur; cujus ex margine alia iterum projicitur.

Ambigitur inter chirurgos peritissimos an cuticula nova nisi ex cute sana ambiente unquam formatur. In partibus aqua fervente

* Vide " B. Bell on Ulcers," sect. 2.

vel igne ambustis ut et in ulceribus vetustis cuticula nova veluti insulas format, ab oris quarum pellicula jamjam depicta aboritur, et quaquaversum immittitur. Mirandum est sane quam plurimæ hujusmodi insulæ per horas viginti et quatuor interdum formantur.

Prout ulcus fit sanabilius, inflammatione et irritatione demum sedatis, partes vicinæ albiores fiunt et læviores; in uno verbo saniores apparent. Quo tempore cutis renascitur, eodem caro renata contrahitur; huic nomen Galli dederunt "un affaisement *," atque clarus JOHANNES HUNTER, "contraction of the granulations †." Mira adeo hæc naturæ lex est, ut duo chirurgi Gallici, FABRE et LOUIS, omnium vulnerum sanationem quæ non primo coaluerunt, huic soli processui retulerunt ‡. Hanc operationem natura ipsa instituit; natura autem Medici auxilio eget, et deligationes plurimum auxilii ferunt.

* Vide "Memoires de l'Acad. de Chir." tom 4.

† —— "Hunter on the Blood," &c. p. 480.

‡ —— "Memoires" loco supra citato.

Nihil sane chirurgo in hoc stadio faciendum restat, nisi ut ulcus permundum servet, impedimenta actionibus naturæ sanatricibus obfutura tollat, et emplastra fasciasque idoneas applicet.

Cicatrizantia imponi oportet, antequam caro ad superficiem cuticulæ assurgat, et dum aliqua vel minima cavitas manet, nam si ulcus carne repletum sit, tunc cicatrix cute circum posita magis eminet.

Si ulcus sit magnum fascia adhæsiva, ut solet inventor BAYNTON, apte applicata multum commodi confert. Sub ulceris simplicis curatione in universum diæta sit nec nimis stricta, potius lauta; debito simul respectu ad quietem animi corporisque atque excretiones naturales haud neglecto. Deligatio sit rara nisi suppuratio frequentiorem ejus repetitionem desideret: solet sufficere ut instuatur alternis diebus, vix sæpius quam semel quotidie. Incauta puris abstersio semper nociva et motus partis adfectæ violentior vitentur. Quod si autem caro ulcerata in tumorem se erigat et

luxuriet, linteo sicco carpto, Gallice "charpie," deligatione et compressione modicis satis facile supprimitur; quibus si resistat quodvis escharoticum ut cupri sulphas, quod optimum est, vel nitras argenti, linteo superimposito, adhibeatur.

Ex usu provido talis methodi ulcus brevi post tempore cicatrice obducitur. Si tamen caro nova generari desinat et iterum amplietur cavitas, ad remedia supra præscripta illico confugiendum. Sanatio et ulceratio sæpe vices alternant quod JOHANNES HUNTER discrimini durationis carnis novæ ascripsit *. Causa potius autem ex habitu corporis vitiato pendet quod nimis otiosum, exercitatione solenni aereque puro privatum, laborat, aut fortasse ex imperitia chirurgi.

* Vide "Hunter on the Blood," &c. p. 481.

De Ulceribus Partium Quarum Actiones Vehementes Sunt, Vires autem Debiliores.

Si æger suis voluptatibus ludisque solitis spolietur, cibi potûsque desiderium cessat, deficiunt animi, verbi gratia totus homo ægrotat. In hoc rerum statu ulcera male se habent; papillulæ carnis molles, flaccidæ quasi spongiosæ, facile sanguinem fundentes evadunt, colorem læte rubicundum et speciem acuminatam amittentes, pallidæ et rotundæ fiunt, et ultra debitos limites propullulant; et cicatricis generandi facultas amittitur.

Quibus diathesin natura dedit debilem et laxiorem, huic ulcerum speciei obnoxii sunt. Inter causas quoque enumerandæ sunt animi anxietas et curæ deprimentes, aer inquinatus, alimenti penuria, et medicamenta nimis relaxantia ulceri imposita. Si pus moventia, ut supra dixi, plus justo tempore adhibeantur, et membri ægroti deligatio vel nimis laxa vel prorsus neglecta sit, ulcus sanum in fungosum solet degenerare.

Cum causæ tam variæ talis adsunt affectûs, nullum unicum remedium omnibus casibus æque convenit. Causæ excitantes sunt semper amovendæ qualescunque sint; nempe aeris puri defectus, mentis dolor, eaque demum corporis imbecillitas quæ illis exoritur. Corpus nutriendum est alimento lautiore et vino meracе. Cinchona et ex ferro præparata, ut mistura ferri composita bene ministrantur. Nihil parti ulceratæ melius convenit quam fascia domini Baynton quæ quo tempore carnem luxuriantem reprimit, eodem confirmat; nam cum immature generatur caro nunquam ea sanitate fruitur et vigore quæ possidet cum tardius gignitur. In utraque hujus ulceris curatione lotione sulphatis zinci vel cupri commode lavatur. Si fascia unquam nihil prodest, unguento hydrargyri nitrico-oxydi, vel hydrargyri nitratis diluto utendum. Everardus Home, Baronettus, rhei pulverem in ulcere inspergi monet et multum commendat *.

Interdum excrescentiæ malignæ, pallidæ,

* Vide "Home's Pract. Obs." p. 60.

plumbei coloris, maxime dolentes, duriorem formant tumorem, aliquando, ut nonnullis placet, in carcinoma facile degenerantes.

Chirurgi excrescentem carnem scalpello, seu ligatura, seu ferro candente admoto olim, nuper autem medicamentis escaroticis vel stimulantibus amovebant.

De Ulceribus Partium Quarum Actiones Torpent.

Hoc ulcus frequentissime occurrit, maximi momenti est, et sæpissime chirurgi attentionem occupat. Ulcus chronicum, diuturnum *, atque callosum † vocatur. Signa quibus dignoscitur hæc sunt; labia crassa, dura, lævia, rotundata, elevata, parum dolentia, et partem ulceratam supereminentia; cavitas major altaque; caro tardissime renascitur, et renata æqualis est et plana; aliquando callosa durities totum ulceris fundum occupat; et crebro lymphæ coagulatæ pellicula adherente obducitur.

Nihil serpit ulcus, ideoque minimum periculi vel incommodi adfert, sed non facile sanescit. Materia effusa minime est bonum et laudabile pus, neque tamen ichor ille tenuis et corrodens qui ex ulcere irritabili effluit, puri autem similior. Aliquando tanta lymphæ

* Vide Fabr. ab Aquap. Opera ad pag. 951.

† —— "Bell on Ulcers," sect. 6.

copia accumulatur circa ulceris oras quanta crustam crassam firmamque format; quod ne fiat, spatula scalpellove quotidie abradenda, eodemque tempore ne cuticula nova deleatur cavendum est.

Partis mollis solutio omnis nisi tempestive sanetur torpidam naturam induit. Si opifex quivis ulcere vexatus, parte sanescente nec adhuc ut convenit curata, solitis suis negotiis rursus diligenter incumbat, callo ulcus sæpe corripitur.

Ulcus diuturnum peritiam olim chirurgorum sæpe adeo illusit ut opprobrium chirurgorum nominabatur, et Celsus de ulceribus quæ extrinsecus per vulnera incidunt tractans "Interdum" dicit "enim vetustas ulcus occupat inducit urque ei callus, et circum oræ crassæ livent. Post quæ quicquid medicamentum ingeritur parum proficit, quod fere negligenter curato ulceri supervenit *." Post autem quam chirurgi fasciis præstantissimis clari

* Vide Celsi lib. 5. cap. 26.

BAYNTON uti cæpissent, ulcera rarissime immedicabilia fuerunt.

Nonnunquam arteriæ vicinæ osseæ fiunt, id quod nautis militibusque et vinolentis sæpissime accidit; et tunc amputatio membri ulcerati sola prodesse potest.

Si ægrotus crus nimis exerceat, Jovi humido et frigido, aliisve causis supra recensitis objicitur *, oræ ulceris rubescunt, totumque ulcus veluti inflammatione afficitur, verbi gratia ulcus chronicum in progrediens convertitur. Hæc quoque irritatio a sanitate corporis ullo modo turbata oriatur; et laborem totius hebdomadæ una in nocte frustratum vidi carnis papillulis novis omnino extinctis vel absorptis, quod in nosocomiis præcipue accidit. In his casibus ad remedia quæ contra ulcus irritabile valent, refugiendum est.

Ulcus callosum cataplasmatibus, fotibus, et unguentis simplicibus, vulgo ceratis dictis, sanari potest; eodem autem tempore ægrum otiosum degere et super cubile decumbere

* Vide ad pag. 16.

oportet. Caro sic renata neque valida neque longæva est, et simul ac ad munera artis suæ redit æger, cicatrix iterum rumpitur et ulcus renovatur. Remedia stimulantia vel etiam escarotica melius adhibentur. DOCTOR UNDERWOOD hydrargyri nitrico-oxydo cavum impleri et ligaturis arctis cohiberi monet. Mihi sane videtur eum hanc ulcerum speciem his remediis fauste adeo ad cicatrices induxisse. Inter medicamenta infinita quæ laudem sibi adsciverunt, enumerantur solutiones nitratis et oxymuriatis hydrargyri, tinctura myrrhæ, acidum sulphuricum et nitrosum, succus gastricus animalium ruminantium, et varia alia; nempe unguenta vulgo nominata digestiva, quæ ex hydrargyri nitrico-oxydo et nitrate componuntur. Hæc autem omnia remedio certiori et fortiori, fasciæ nempe BAYNTONEÆ, locum cesserunt, quæ optimum in chirurgia inventum merito habetur, quippe sine qua manca et debilis esset. Ulcera nuper immedicabilia hac recte riteque applicata facile sanantur, et vix vel ne vix quidem ullum in-

veniemus ulcus quod non huic denuo succumbit.

Magna utilitas ligationis æquabilis et temperatæ diu chirurgis innotuit. Chirurgus primus Regis Caroli Secundi, WISEMAN, tibiale constrictum commendat *. Ex quo tempore multi dissertationes de vinculorum magno beneficio in lucem prodierunt, inter quas clarissimæ sunt quas DOCTOR UNDERWOOD et chirurgus WHATELEY ediderunt. Ambo laneum vinculum laudant, et ille secundum latitudinem †, hic secundum longitudinem discindit pannum ‡. Celeber chirurgus ELSE laminam plumbi tenuem superficiei ulceris aptavit.

Fasciæ adhæsivæ præ omnibus habendæ sunt quæ cum sanationem non efficiunt, eventum infelicem non nisi negligentiæ et imperitiæ debent. Etsi remedium profecto mirum accurate seduloque impositæ præbent; stolide autem adhibitæ multum incommodi et dolo-

* Vide "Wiseman's Works," p. 189

† —— "Whateley on Ulcers," p. 42.

‡ —— "Underwood's Surgical Tracts," p. 79.

ris, si non mali, afferunt. Ecce ratio, quare cum ab ægris ipsis imponuntur, tam parum prosunt.

Haud necesse est de hujus vinculi formatione proferre quidquam, sed notatu dignum esse videtur, quod eximius auctor BAYNTON gossipinum pannum tenuem et porosum commendat, sed pannum dealbari oportet, alioquin emplastrum absorbetur neque superficiem oblinit.

Cum tot verba de usu imperito hujus fasciæ feci, ostendere oportet quomodo bona applicatio fit. Pannum emplastro illitum dividatur in portiones duobus digitis latas, et tam longas ut non solum crus circumdare possunt, sed ut præterea relinquantur extremitates duos pollices longæ. Portio sic præparata, sùa media parte lateri cruris ulceri adversæ aptata, adeo applicanda et astringenda est ut passim adhæreat, et extremitates trans ulceris labia transferendæ, et alia super aliam disponendæ sunt. Portio secunda eodem modo aptanda, ita ut

suus margo inferior in prioris marginem superiorem semipollice superducatur.

Fascia adhibita pollice infra incipere et eodem spatio supra ulcus finire debet. Omnes ulceris partes pariter comprimendæ sunt, nam si una pars arctius aliaque remissius deligetur, sanguis inæqualiter distribuetur. Sic si ulla portio emplastri sola crus arctet, deinceps dolor atque irritatio consequentur; vel si omnes portiones superiores arcte constringantur, dum inferiores laxentur, sanguinis fluxus impedietur, et orietur ædema.

His recte peractis superilligate vinculum xylinum quod anteferendum est, linteo magis renitens, laneo minus inhabile. Primo circa tarsum, tunc bis terve circa pedem, subinde circa tarsum iterum, postremo circa totum crus plicandum est. Ad hoc munus vinculo duobus pollicibus cum semisse lato, et quinque vel sex ulnas longo opus est. Si pannum gossipinum dealbetur vinculum lævius atque æquabilius imponi potest.

Quibusdam ulcere vexatis parva copia resi-

næ quæ in emplastro BAYNTONEO inest, non convenit, cujus loco ad emplastrum saponis vel plumbi confugiendum. Hæc super pannum xylinum linteumve mane eodem, quo adhibentur, extendi debent, alias, cum imponuntur, a panno decorticantur et non cruri adhærebunt, itaque nihil proderunt fasciæ. Optimus meus præceptor celeber SIMMONS fascias cerati saponis vel calaminæ, resina quippe incongrua, prædicat; liceat autem mihi, etsi valde invito, ab auctore tam præclari nominis discrepare; nam hæ mihi non satis adhæsivæ esse videntur, nec vincula quam emplastra simplicia ex his formata plus prodesse. Ubi emplastrum resinosum irritationem et erosionem partium ulcus ambientium ciet, omittendum est, et liquore plumbi subacetatis diluto, lotione zinci sulphatis, cerato calaminæ vel alio unguento simplice uti oportet.

Hi sunt fructus vinculorum domini BAYNTON; conquiescunt dolor et inflammatio; tollitur ædema partium vicinarum, et sic minuitur ulcus; labia crassa et dura carni ulce-

ratæ adæquantur, et sic cuticula nova citius faciliusque renascitur; carnis pullulatio uberrima reprimitur; contractio papillularum expeditur et cicatrix sic minor redditur; et in convenientibus locis labia ulceris proprius sibi appropinquant. Sub dio ambulare, vitæ etiam munera obire, et se ut solebant exercere ægris permittitur. Ulceri chronico exercitatio non solum inocua est sed et sanationi magnopere confert, nam et corporis totius et ulceris ipsius sanitati proficit. Cicatrix quoque hoc modo inducta firmior est, haud æque facile rursus eruptura.

Chirurgi veteres ulceris labia dura et crassa medicamentis escaroticis, ut antimonii muriate, potassa pura, vel ferro candente consumere; vel scalpello circumcidere solebant *. Si vinculum resinosum labia reducere nequit, commode adhibentur nitras argenti vel cupri sulphas ante fasciæ applicationem utramque, linteo superimposito.

Occupationes autem quædam commoda fas-

* Vide Celsi lib. 5. cap. 26.

ciæ adhærentis omnino subvertunt. Tales sunt omnes quibus fungentes diu stare eodem in loco necesse est, ut faber lignarius ferrariusque atque lotrix; vel sedere cruribus dependentibus, ut textor. His in casibus quam optime licet vel cantissime ulcus curetur, non ad cicatricem perduci potest sine otio et quiete; et operæ pretium est ut ad novam se convertant artem, nam simul ac ad solitam redeunt, ulcera plerumque renovantur.

Quinetiam habitus ægrorum vigilanter notandi sunt, et prout expediunt administrandi sunt cibi lauti, vinum, remedia tonica, purgantia, &c. Clarus Simmons qui ulcerum sanationi quam caute attendit et artem suam felicissime exercet, urinam moventia multum auxilii præbere affirmat.

Hæc ulcerum species inter mulieres menstruis oppressis vel cessantibus sese offert, et tunc præparata ex ferro cum aliis hujusmodi remediis requiruntur.

Si unquam, perspiratione insensibili propter deligationem arctam nimis obstructa, crus

injucunde caleat, aqua frigida in vinculum xylinum externum supereffusa ægrum valde reficit, et sanationi ulceris favet. Cum emplastrum ulceri novum admovetur, crus spongia atque aqua tepida nunquam non abluendum est, ut amoveantur omnes prioris emplastri particulæ, cutisque pruritus sedetur.

Notissimus ille de arte chirurgica prælector ABERNETHY applicationem fasciæ aliquantum variat. Primo ulcus linteo cerato vel unguento quodam illito simpliciter curat, atque vinculum resinosum superimponit; hoc autem nisi in ulceribus maxime irritabilibus haud quidquam prodesse scio.

DOCTOR THOMSON, in Hac Alma Academia de chirurgia militari Professor doctus, modum fascias adhibendi quoque mutat. "Instead," dicit ille, "of carrying them (straps) completely round the limb, it is in most instances sufficient to make them enclose only about two thirds *." Magis inclinat autem mihi animus, ut credam quod sic applicata

* Vide "Thomson on Inflammation," p. 450.

ulceri sano, labia in proximum adducens, et contractioni carnis novæ adjuvans, prodesse potest, sed labia callosi ulceris de quo nunc verba facimus, vel carnem exuberantem fungosi, non satis comprimet.

Si ulcus parti tibiæ anteriori adjaceat, etsi torpidum sit, tamen compressionem vinculi tolerare nequit, quare eo sæpius in ulcus irritabile vertitur, et medicamentis tantummodo simplicibus uti oportet.

De Ulceribus Quibus Varices Venarum Conjunguntur.

Varices sunt tumores molles, minime dolentes, plus minusve numerosæ et confertæ, colore purpureo si proxime sub cute subjaciant, et crura vel femora potius quam ullas alias corporis partes infestantes. Venæ non simpliciter amplificantur sed etiam quodammodo contortæ fiunt; hic contrahi, illic dilatari videntur, et subinde ceu nodos quosdam formant.

Causæ dilatantes sunt vel nimis celer vel nimis tardus fluxus sanguinis; quare cursores, saltatores, bijuli, et diu in pedibus stantes varicibus valde obnoxii sunt. Quæcunque sistunt fluxum sanguinis, nempe tumores, et fasciolæ vel ocreæ arctæ, causæ varicum esse possunt. Valvulæ intus positæ nonnunquam distensione rumpuntur, et tunc sanguis deorsum descendit et pondere suo ramos inferiores venæ dilatat. Crebro autem venarum tunicæ debilitantur et morbidæ fiunt, et tunc

sanguinem non præter modum prementem sustinere nequeunt; itaque oriuntur varices.

Quacunque ex causa dilatatur vena, oriuntur dolor et incommodum, et cutis superjacens inflammatione sæpe corripitur. Quanquam inflammatio remediis propriis cedat, distensio tamen manet. Nonnunquam autem inflammatio non conquiescit, tunc pus movetur, abscessus formatur, erumpit, et ulceri ortum dat. Quanquam varices ulli ulceri supra depicto addantur, plerumque labia sunt tenuia et scabra, et cavum ulceris nigro colore obducitur et quam leniter pressum maxime dolet.

Cum membrum, tali ulcere et varicibus laborans, scalpello anatomico exploratur, non solum venæ ipsius tunicæ, partes autem vicinæ nequaquam sanæ inveniuntur. Mihi liceat pauca hæc ex observationibus practicis chirurgi Gallici præcellentis, LEVEILLE, citare; " au dessous et sur le contour de l'ulcère, les duretés se propagent profondément dans les tissu des muscles, dans leur intervalle, le long

des gros vaisseaux, òu il forme un cordon résistant qui se prolonge jusqú' au pli de l'aine. Dans cet endroit, la désorganisation des parois veineuses est portée á un tel point que leur tissu n'est plus distinct *."

Quæcunque remedia ulceri ipsi imponuntur nihil valent. Ulcere fere prorsus neglecto, oculos ad venarum affectionem dirigi opus est, quæ quamdiu distenduntur, ulcus ad sanationem nunquam tendit.

In curatione varicum commoda vinculorum et tibialium constrictorum clarius apparent. Venas comprimunt, dilatationi occurrunt, et sanguinis fluxui adjuvant. Varicibus laborantem diu, si non per reliquum vitæ spatium, etsi ulcus sanetur, vinculis uti oportet, alias morbus renovari solet.

Modos varices medendi et antiqui et recentes chirurgi varios adhibent.

Antiqui vel varices in multis locis compungi et sanguinem evacuari †, vel excidi, vel ad-

* Vide "Léveillé, Nouvelle Doctr. Chir." t. 3. p. 155.

† —— Hipp. sect. 6. lib. de Ulceribus.

uri *, vel fasciis angustis et medicamentis astringentibus comprimi † suadent. EVERARDUS HOME, Baronettus, cutem ad genu incidit, ut appareat vena Saphæna, quam ibi ligat, tunc partis incisæ margines committit et super emplastrum glutinans injicit ‡. Hæc operatio lævissima, non autem discrimine immunis est, neque tam prodest quam primo conjecerunt medici. In genere non una tantum vena laborat, sed omnes ad morbum proclives videntur; et cum hæc canalis princeps obturatur, sanguis in venas alias impellitur, quæ, sanguine præter modum oppletæ, varicosæ fiunt et aliam operationem requirunt. Ubi venæ per totum crus dilatantur, remedia sola sunt ligatio et compressio et medicamina astringentia qualia decoctum quercûs et liquor plumbi subacetatis dilutus extrinsecus imposita.

Una vel duobus venis distensis egregius chirurgus BRODIE eas in modo sibi proprio secat,

* Vide Celsi lib. 7. cap. 31.

† —— Fabr. ab Aquap. p. 1. cap. 105.

‡ —— "Home's Practical Observations."

et nulla incommoda hanc operationem comitari, venas omnino sanari, et si ulcus adsit, id paulisper cicatrice obduci dicit *.

Etsi ejus operatio feliciter cesserit, quoad exempla ad hoc usque temporis prolata, venas tamen alias simul ac æger ad munera solita redit, sanguine præter modum distensas, varicibus affectas iri suspicari adducor. In prima historia hoc accidisse videtur, nam ægra ulcere parvo et molesto et varicibus ejusdem cruris laborans in nosocomium Sancti Georgii apud Londinum admissa fuit.

Donec suus operandi modus pluribus exemplis comprobatus erit fascia adhæsiva, quæ et venarum varicibus et ulceri ipsi benefacit, optime comprimit et ligat, remedium erit utilissimum.

Sæpissime uterus gravidus aliique tumores abdominales, venam cavam inferiorem comprimentes, venas femoris et cruris varicosas reddunt. In priore casu puerperium solum est remedium, posterior autem in genere insanabilis est.

* Vide "Medico Chir. Tran. vol. 7."

De Ulceribus Quæ Sinus Comitantur.

Sinus est ulcus longum et angustum quod membranam cellularem sub cute et inter musculos pervadit. Aliquando callosus fit et tunc nomen fistulæ obtinet. In omni fere corporis parte oritur, habetque quædam in omnibus locis propria et remedia apta postulat. Nunc autem de sinibus tantummodo, qui ulceribus crurum conjunguntur, loquor.

Genera fistularum vel sinuum sunt varia, nam alii sunt breves, alii longi, alii recti, alii tortuosi ; hi ad carnem, illi ad ossa vel cartilaginem porriguntur.

Si ulcus solum arctius, partes autem vicinæ laxius ligentur, excreta effluere nequeunt, et in membranam cellularem sursum et deorsum impelluntur, et sinibus originem dant.

Si brevis, rectus, et sub cute sola fiat sinus, scalpello præcidi potest. Si autem tortuosus et longus sit, specillum filis xylinis vel sericis demitti debet, et ubi ad finem sinûs advenerit, ibi incidendum est, fila ad orificium novum

ducenda et intus relinquenda sunt: Cum pus laubabile evenerit fila singulatim amovenda, et postremo pulvinuli super sinûs longitudinem imponendi et illigandi sunt.

Si sinus recte intus et altius penetrat compressio et ligatio maxime conducunt, et ad hoc munus fascia BAYNTONIA omnibus aliis præstat. Finis sinûs arctius, longitudo laxius atque laxius, et orificium minime astringenda sunt, hoc enim modo extremitates coalescunt et pus ex orificio facile effluit. DOCTOR DEWAR qui nuper animos chirurgorum sanationi ulcerum sinuosorum convertit, vinculo simplice usus est*, fascia autem resinosa æquabilius comprimit, firmius adhæret, et facilius imponitur.

Si ossis caries vel cartilago vitiata sinum comitatur, has primo sanari opus est, et tunc remediis supradictis sinus consolidetur.

Quandocunque curatur ulcus pus ex sinu exprimi et lotio zinci sulphatis vel alius astringentis injici debet.

* Vide "Medico Chir. Tran. vol. 7."

FINIS.